



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus L. De Parocho Horas Canonicas distractè recitante, & eas, vel
earum partem omittente.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

CASUS L.

De Parocho Horas Canonicas distractè recitante, & eas, vel earum partem omittente.

MArchantius Parochus Horas Canonicas persæpè valdè distractè, & somnolenter recitat, cùmque non rarò earum recitationem in serum usque Vesperum differat, non nunquam ex somno, oblivione, capitis dolore, aut crapula Vesperas cum Completorio omittit, subinde etiam totum Breviarium ob occurrentes varias occupationes, & negotia expedienda.

QUÆR. I. An satisfaciat præcepto recitandi Horas Canonicas, qui voluntariè ita distractè orat, ut nullam habeat attentionem internam?

QUÆR. II. An Marchantius ex somno, crapula, aut capitis dolore omittendo Vesperas cum Completorio arguendus sit peccati mortalis?

QUÆR. III. An, & quando excusandus sit à mortali omittens totum Breviarium, aut notabilem ejus partem ob occurrentes occupationes, aliàque negotia?

QUÆR. IV. An excusandus sit Beneficiatus ab onere restituendi ob omissas culpabiliter Horas Canonicas, qui largam in pauperes distribuit Eleemosynam nil tamen cogitans de sua obligatione, nec expressè intendens per eam illi satisfacere?

289 **P**riusquam primum Q. resol-
vatur, notandum est 1. At-
tentionem aliam esse inter-
nam, aliam externam. Hæc
consistit in negatione distractionis
externæ, scilicet negotii, vel oc-
cupationis exterioris, quæ ex se
distrahat mentem ab oratione. In-
terna consistit in applicatione inter-
na mentis ad id, quod recitatur.

Ad attentionem internam necessa-
riò requiritur externa, quæ consi-
stet in cessatione, seu exclusione ac-
tionum, & occupationem ex na-
tura sua impossibilem cum at-
tentione interna.

Notandum 2. ex S. Th. attentio-
nem aliam esse ad verba, ne quis in
iis erret; aliam ad sensum verbo-
rum

Rr 3 rum

iam, & aliam ad Deum, vel ad id, quod, vel pro quo oratur; seu, ut alii loquuntur, aliam esse superficialem, alia literalem, & aliam spiritualem.

Superficialis est, quâ attenditur ad sola verba, ut rectè, & ordinatè omnia proferantur. Attentio litteralis est, quâ attenditur ad sensum verborum, ut scilicet mens sensum eorum, quæ os loquitur, percipiat. Attentio denique spiritualis est, quâ, dum os verba profert, mens interea aliqua pia meditatione, vel affectu erga Deum, aliasve res sacras detinetur.

Notandum 3. attentionem distingui ab intentione; hæc enim est actus voluntatis finem aliquem sibi præfigentis. Attentio verò est actus intellectûs, quo quis advertit ad ea, quæ vel à se, vel ab alio aguntur. Aliquam intentionem requiri in recitatione Officii divini certum est ex alibi dictis. De attentione, & quali, est præsens dubium. Ubi

290 Ad 1. Q. Non satisfacere eum qui absque attentione interna ita orat, sed graviter peccare, censent S. Thom. in 4. d. 15. q. 4. a. 2. Suarez tom. 2. de Relig. l. 3. c. 4. Navar. Sotus, Cajetan. Less. Bonac. Azor, Sanch. Reginald. Laym. aliique plures apud Dianam p. 1. t. 12. R. 2. requirentes neces-

sario aliquam attentionem internam, eò quòd absque attentione interna nulla sit oratio, nec possint proferri verba, quin detur attentio interna, nec sine hac habeatur recitatio *devota*, qualis tamen præcipitur in *C. dolentes*. Sententia hæc utique communior ac probabilior est opposita, & in praxi consulenda, ac tenenda. Contraria tamen opinio non caret magna autoritate, & probabilitate, quam amplectuntur, ac tenent D. Antonin. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. Coninck. in 3. p. Q. 8. a. 6. n. 291. Gerson. Rosell. Ledem. Angel. aliique. Quorum ultra viginti citant Dian. l. c. & Moja tom. 1. tr. 2. d. 2. q. 1. contendentes, non esse necessariam attentionem aliquam internam ad substantiam orationis; sed sufficere externam superficialem cum intentione agendi cum Deo. Tum quia oratio absque ulla interna attentione potest esse actus Religionis secundum substantiam spectatus, sicut sine hac possunt esse actus aliarum virtutum moralium, v. g. actus fortitudinis, temperantiæ, &c. ad quos non requiritur attentio. Tum quia loqui cum alio nihil est aliud, quàm velle significare alteri per verba à se prolata id, quod per verba significatur, atqui hoc totum verificatur de oratione cum intentione, & attentione supra requisita, etsi mens ad alia sit voluntariè distracta: ergo. Tum quia satis probabile est, Ecclesiam extra forum conscientiarum, & Confes-

fessionis tribunal non habere jurisdictionem in occulta, & interna. Unde

Ad C. dolentes R. ibi præcipi actum devotum externum, qui sufficiat ad externam Religionem; Pontifex enim ibi reprehendit eos, qui in Choro Horas recitantes aures præbebant colloquutionibus Laicorum, & præcipit devotam recitationem sub pœna suspensionis infligendæ; atqui hæc pœna per Judicem infligi non potest ob internam, sed tantum ob externam distractionem: ergo

291 Ad 2. Q. R. Sub disjunctione, & distinctione, vel enim ea Horarum Canonicarum omisso fuit Marchantio improvisa, atque adeo involuntaria, vel ea fuit certò, aut probabiliter prævisa? Si primum contigit, Marchantius immunis erit ab omni culpa; quia ad merendum, & demerendum requiritur voluntarium, & liberum exercitium voluntatis; si verò fuit ita prævisa, non excusabitur à culpa mortali, quia tunc censetur esse illi voluntaria ob obligationem, quam habebat, præveniendi, aut certè removendi ejusmodi impedimentum; tunc autem censetur eam prævidere, quando ab experientia habet, quòd differendo v. g. vespèras, aut Completorium post cœnam, aut ejusmodi computationem instituendo, frequenter ex oblivione, aut somno præoccupatus

Horas recitare intermiserit. Quòd verò teneatur prævenire, si prævideat futurum impedimentum docent Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 28, Bonacina D. 1. q. 6. p. 2. Azor l. 10. c. 13. Tambur. l. 2. c. 6. Palao n. 10. Valent. Sylvest. Nald. Navarr. Graff. Pelliz. alique; quia tunc temporis urget obligatio præcepti, quod adhuc adimpleri potest, cum præceptum de Officio divino percurrendo non solum urgeat suis correspondentibus horis, sed toto die, adeoque in qualibet ejus parte, in qua præceptum impleri potest, & idcirco obligabitur manè Officium recitare, qui serò non potest, vel serò, qui manè non potest.

Quòd si quis ob infirmitatem nequeat debito tempore Breviarium recitare, possit autem alio tempore v. g. si à prandio laboret febre quartana, manè autem sit liber, aut vicissim, putant Henriq. Canus Caramuel, Diana, & alii apud Pelliz. tom. 1. tr. 3. c. 5. eum non esse obligatum ad præveniendum, ea ratione moti, quòd tale impedimentum sit illi involuntarium, quorum sententiam probabilem agnoscunt etiam Sanch. d. 43. n. 7. & Gobat n. 711.

Verum in praxi tenenda est sententia opposita cum AA. supra relatis ob rationem insinuatam, quia præceptum urget tota die, & quòd Officium recitetur hoc, vel illo diei

diei tempore, est tantum circumstantia accidentalis, ut notat Lacroix, obligatio verò dicendi totum Breviarium incipit à media nocte, duratque per singulas partes diei naturalis usque ad alteram mediam noctem, adeoque si in aliqua hujus diei parte commodè recitari potest, & urgenti præcepto adhuc satisfieri, præstandum id erit, ni fortè morbus inde augendus prudenter timeretur, aut aliud nocuum idcirco oriturum.

Porro an, & quomodo peccet, qui ex capitis dolore, aliave corporis infirmitate non nunquam omittit recitationem totam, aut partem Breviarii, spectanda est gravitas, aut levitas morbi, ubi sicut non requiritur infirmitas gravissima, ita nec levis sufficit, sed media via incedendum est, ut notat S. Thom. universim tamen cavendum est, ne quis sibi ob amorem proprium plus æquo blandiatur, & sub specie necessitatis omittat pensum Canonicum; ubi re vera nulla est necessitas, aut ratio sufficiens: Unde in dubio, an morbus sit levis, vel gravis, standum est iudicio Medici, Superioris, aut alterius viri prudentis.

Cæterum præstat cum ægris se qui partem benigniorem, & mitiorem, adeoque eos non solum excusari à recitatione Breviarii tunc, quando satis apparet adesse moralem impotentiam, sed etiam

quando periculum apparet nimiae defatigationis, quæ vires ægroti imminuat, aut morbum promoveat: Unde Sanch. in *conf. l. 7. c. 2. d. 45.* Tambur in *Decal. l. 2. c. 5. §. 8.* Stozl. *1. p. 3. n. 402.* Gobat, & alii, ab onere recitandi Breviarium eximunt eum ægrum, qui aliàs per recitationem incurreret periculum crudelitatis Stomachi, gravedinis capitis, notabilis virium lassitudinis, aut etiam febris tardius remissuræ, Tum quia ejusmodi damna, & incommoda, quæ in sano corpore sunt levia, in ægrotis sunt gravia. Tum quia præceptum de persolvendo penso Horarum Canonicarum est præceptum benignæ Matris Ecclesiæ, quæ non præsumitur velle suis filiis id oneris imponere, & tanto in rigore obligare; ut alibi dictum est in *Instruct. pract. Ordin.*

Ad 3. Q. R. attendendum esse 293 ad naturam, & gravitatem negotiorum, quibus Clericus distinetur, ac præpeditur, & siquidem ejusmodi negotia sint necessaria, magnique momenti (id est talia, propter quæ homo aliàs prudens, & diligens cum valde magno suo incommodo, aut detrimento cogere intermittere aliam actionem magni momenti) nullumque spatium permittant, atque adè moraliter impossibilem reddant recitationem Breviarii, illius ommissio immunis erit à culpa; quia moralis

lis impossibilitas, sicut in aliis, ita & hinc excusat.

Cæterum in hac quæstione præstat pro praxi sectari tutiorem, & rigidiorem opinionem ob incommoda, quæ inde sequerentur; nam quamvis universim moralis impossibilitas excuset ab obligatione persolvendi penum Canonicum, attamen facilitas deobligandi, & in eo dispensandi propter occurrentia negotia esset nimis periculosa, & noxia Statui Clericali, hoc ipso enim, quod multæ personæ etiam Ecclesiasticæ perpetuò occupentur variis, iisque quandoque non levibus negotiis, si facile liceret in quotidiano hoc penso dispensare, & ob occurrentes occupationes Breviarium intermittere, brevi contingeret, ut apud multos Breviarium quotidie percurrendum perpetuò vacaret, & per successivam desuetudinem facilitas hæc præscriberet contra quotidianam obligationem recitandi Divinum hoc Officium.

Unde sedulo cavendum est, ne illud propter quotidiana negotia negligatur; nec difficile erit, tempus aliquod vacandi Deo inveniri ab iis, quibus cordi est Dei honor, & negotium salutis propriæ, sicut non obstantibus etiam gravibus negotiis facile invenitur tempus vires reficiendi, corpus abundè curandi, imò & fovendi, ut dictum est alibi.

R. P. Leonardelli Soc. Jesu.

Ad 4. Q. R. cum Lug. d. 4. n. 294
46. Laym. l. 3. tr. 2. c. 12. n. 9.
Diana 3. p. tr. 6. R. 57. & p.
7. tr. 10. R. 24. Suarez, Sanch.
aliisque affirmativè, siquidem Beneficiatus post omissionem Divini Officii Eleemosynam distribuat correspondentem fructibus aliàs restituendis; negativè verò, si ante omissionem pauperibus Eleemosynam elargatur. Ratio prioris partis est, quia si Eleemosyna detur post Horarum omissionem ponitur re ipsa opus debitum, & in poenam à lege Ecclesiastica præceptum: ergo satisfit præcepto; intentio enim satisfaciendi præcepto Ecclesiastico non exigitur ab Ecclesia, ut alibi insinuat, & etiamsi requireretur, adesset tamen hinc virtualis, ut notant citt. DD. quia implicita, & virtualis, intentio omnium dantium Eleemosynam est, velle per illam, quantum possunt, satisfacere omnibus obligationibus, quas per sua peccata, & negligentias contraxerunt, adeoque etiam obligationi restituendi inductæ per legem Ecclesiasticam, quæ aliàs benignè explicari debet: Unde non obest, etsi cum aliis multis sentias, obligationem hanc debitam esse ex justitia, hoc ipso quod dans Eleemosynam virtualiter intendat, etiam huic, quam habet, obligationi satisfacere.

Ratio posterioris partis est, quia per bona opera satisfacere quidem
Ss postum-

possuntque pro peccatis, & negligentis jam præteritis, non item pro futuris. Unde ab Alexand. VII. proscrip̃ta fuit hæc sequens propositio n. 33. Restitutio fructuum

ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque Eleemosynas; quas antea Beneficiatus ex fructibus sui Beneficii fecerit.

CASUS LI.

De Canonico Horas canonicas recitante, & à Choro frequenter absente.

MAurinus Canonicus frequenter abest à choro, non solum, cum malè habet, sed etiam, cum benè valet; Cum verò præfens adest, aliis in Choro Psallentibus ipse profana legit, aut confabulatur cum proximo suo socio, vel si orat, versiculos suos submissa voce recitat, aliis Suam partem canentibus.

QUÆR. I. An Canonicus, qui submissa voce in Choro recitat suos versiculos, aliis suam partem canentibus, percipere nihilominus possit distributiones?

QUÆR. II. Quid sentiendum sit de illo Canonico, qui, aliis in Choro Psallentibus, profana legit, aut confabulatur cum suo socio?

QUÆR. III. An peccet mortaliter Canonicus, qui, dum residet in loco sui Beneficii, frequenter abest à Choro?

QUÆR. IV. An Canonicus, qui ob corporis gravem infirmitatem Choro assistere nequit, lucrari nihilominus possit distributiones non solum proprias, sed etiam distributiones aliorum absentium?

295

AD I. Q. R. cum Suarez tom. 2. de Relig. l. 4. c. 12. Less. l. 2. c. 3. dub. 23. Petr. Navarr. Bonac. Filliuc. Roderique, & aliis, non posse talem Canonicum, saltem ex integro, percipere distributiones. Ratio est. Primò, quia talis Canonici-